

ximo gentem hanc affecerunt. Huic igitur et tanto malo, nostroque omnium supremo dispendio volentes iam tandem occurrere; ne si modernum gratiosissimum dominum nostrum, dominum Wladislaum Regem Hungarie et Bohemie &c., qui nos in omni gracia et libertate non modo gracie rexit et conseruauit, sed etiam plures libertates nostras reformauit, ab hac luce absque heredibus masculinis decedere contingat nos et hoc Regnum in maiori discrimine permaneat, et ne quisquam forensium Principum Regnum istud sibi violenter usurpet, neque in seruitutem perpetuam redigat. Maxime etiam et precipue ea ratione inducti, quod per totum orbem nulla dinoscitur nacio seu gens, que non de gente et sanguine atque nacione sua Regem et Dominum sibi eligeret. Ne igitur hoc Regnum, quod antemurale clypeusque Christianitatis existit, et magna sua et suorum cede semper Christianitatem ipsam defendit, minus et quodammodo infelicius aliis esse videatur, sancimus et vnanimiter omnes a minore ad maximum et a maximo ad minorem statuimus et ordinamus: Quod a modo deinceps quociescunque et quandocunque hoc Regnum Principe et Rege orbabitur, nullique heredes masculi de Jure atque consuetudine eiusdem Regni succedere debentes superstites remanserint extunc de cetero in perpetuum nullum penitus exterarum nacionum cuiuscunque linguagii in Regem nostrum eligemus; sed tantummodo Hungarum ad hoc officium regiminis aptum et idoneum parili voto et vnanimi consensu et voluntate, in campo duntaxat Rakos et non alibi pro domino et Rege nostro assummemus, eligereque et assumere ac acceptare debeamus. Quoniam autem exstant nonnulli Principes et Reges vicini, qui ad hoc Regnum pro se vendicandum quotidie anhelant, qui post obitum prefati Serenissimi domini nostri Regis, siquidem absque heredibus masculis, quod Deus auertat, decederet, vel etiam eo in humanis adhuc agente hoc Regnum vel partes et membra sua armis impetere aut agredi, ipsumque et nos omnes vi forsitan et armis subiugare sibi conarentur; ne igitur in tali casu hoc ipsum Regnum, partesque eiusdem, et maxime fratres et amici nostri in confinibus existentes per eosdem hoc Regnum preter nostram vnanimem electionem et contra huiusmodi Statutum nostrum seu etiam alias qualitercunque occupare et ipsis appropriare volentes opprimantur; promissimus et iurauimus, promittimusque et iuramus in nostris ac heredum et successorum nostrorum nominibus et personis omnes stipulata manu, nos Prelati ad nostre consciencie puritatem nos vero Barones, Proceres et Nobiles prefati ad fidem nostram Christianam, atque honorem et humanitatem nostram, quod in tali casu nullus alterum derelinquet, sed alter alteri secundum limitationem superinde factam cum gentibus suis iuxta contenta generalis Decreti nostri conseruare debeant, et dum opus erit, maiori etiam potencia, qua poterit, semper et quidem in tempore fideliter succurrere, imo si necessarium fuerit, totum hoc Regnum et consequenter nos omnes per singula capita insurgere, talique hosti occurrere et pro ipsa patria nostra vsque ad mortem decertare teneamur. Nec interim villo pacto cessare debeamus, donec et quovsque nos a tali hoste in libertatem vendicabimus et Regnum hoc ab illius impetitione seu infestatione Dei auxilio liberabimus et in tranquillitatem priorem reponemus. Si qui vero nostrum contrarium premissorum facere presumerent, tales perpetui infideles Regni habeantur, quibus neque Maiestas Regia de nouo constituta, et nec totum ipsum Regnum gratiam facere possit, sed iugo perpetue seruitutis et rusticitatis subiecti reatus ipsorum poenam lugeant sine fine; harum nostrarum (quas nos